Nº 93

9

DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE
OPHTHALMIA;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,
ET NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

JOANNES ARGYLL ROBERTSON,

Scotus,

CHIRURGUS.

Principiis obsta; sero medicina paratur,
Cum mala per longas invaluere moras. OVIDIUS.

Kalendis Augusti, hora locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBANT ABERNETHY & WALKER.

1819.

VIRO SPECTATISSIMO,

JOANNI HENRICO WISHART, ARMIGERO,

COLLEG. REG. CHIRURGORUM EDINENSIS

SOCIO,

E CHIRURGIS VALETUDINARII REGII EDINENSIS, &c.

HAUD MINUS

REI MEDICAE SCIENTIA, INGENIOQUE ACERRIMO,

QUAM

COMITATE ET VIRTUTIBUS

INSIGNI;

HANC DISPUTATIONEM,

OB MULTA BENEFICIA IN EUM COLLATA,

D. D. C.QUE

ALUMNUS

AUCTOR.

FRATRIBUS CARISSIMIS,

ROBERTO ROBERTSON DE PRENDERGUEST, M.D.

COLLEGII REGII CHIRURGORUM EDINENSIS SOCIO,

SOCIETATIS REGIAE MEDICAE EDINENSIS

SOCIO EXTRAORDINARIO,

&c. &c.

ET

GULIELMO ROBERTSON, M. D.

COLLEGII REGII CHIRURGORUM EDINENSIS SOCIO, &C.

HASCE STUDIORUM PRIMITIAS,

FRATERNI AMORIS PIGNORI PERTENUI,

SACRAS VULT

AUCTOR.

——— *Thus with the year*
Seasons return ; but not to me returns
Day, or the sweet approach of even or morn,
Or sight of vernal bloom, or summer rose,
Or flocks or herds, or human face divine ;
But cloud instead, and ever-during dark
Surrounds me, from the cheerful ways of men
Cut off, and for the book of knowledge fair
Presented with an universal blank
Of nature's works, to me expung'd and ras'd,
And wisdom at one entrance, quite shut out.

PARADISE LOST, Book III.

DISPUTATIO MEDICA

DE

OPHTHALMIA.

PRAEFANDA.

INTER omnes corporis humani partes, eae, quarum ope potissimum coeli luce perfruimur, omnia fere, quae terrae et maria exhibeant, comprehendimus, et quasi mundo potimur, nimirum Oculi, haud levissimum medicorum studium jure sibi adsciscunt. Uti enim officiis inserviunt praeclaris et utilissimis, ita fabrica perquam subtili, multiplici et levissimis noxis perturbanda pollent; quo fit, ut malis nec paucis neque contemnendis pateant. Ex his vero inflamma-

tio praepollet; quippe quae frequentissime exercet, et morborum reliquorum saepe genitrix esse videtur.

Summos igitur medicinae honores ambiturus, *Ophthalmiam*, de qua pauca conscribam, selegi: non profecto, quod profiteor me argumentum jam toties agitatum illustrare posse nova luce; sed quod aliquid ad artem Apollinarem literis mandare coactus, quaeque de morbo nec raro, neque semper metus experti, memoria dignissima, quam clarissime potero, proferre statui.

DE DEFINITIONE.

CULLENUS *ophthalmiam* ad CLASSEM "*Pyrexiae*" et ORDINEM "*Phlegmasiae*" relatam, ita definivit: "Rubor et dolor oculi; lucis intolerantia; plerumque cum lachrymatione." Duas subjecit species; scilicet, *ophthalmiam membranarum* et *ophthalmiam tarsi*. Quinetiam, haec in-

flammatio alias atque alias sibi formas induit, prout varient causae abditae et excitantes. Huc pertinent *ophthalmia syphilitica*, *Aegyptiaca*, *iritis*, &c.; quae non nisi *ophthalmiae* membranarum varietates sunt habendae.

DE SIGNIS.

Scarpa, vir ingenii praeclari, *ophthalmiam membranarum* duplicis esse generis proposuit; nimirum, vel acutam mitiorem, vel acutam acerbiorem. Illam ineuntem denunciant rubor, dolor et ardor oculi. Vasa membranae *adnatae* propria intumescunt. Oculus ardet et prurit; lucisque non tolerans solem fugit; aegroque ipsi alienum irritans eidem inhaerere videtur: oculus non raro illachrymat. Modo capitis dolor et febris torquent. Aliquando glandes palpebrarum pituitae multum secernunt. Acuta vero acerbior notis longe deterioribus insigni-

tur. Oculi non minus dolent, quam lancea acuve transfixi; insigniter ardent: minus aequo patescunt, obrigentibus fibris palpebrarum motricibus. Lachrymis acrioribus et copiosissimis humectantur. Febris simul ardentissima, delirium et capitis dolor admodum severus cruciant: dolor subinde toti capiti insidet: *pupillae* ultra naturam lumine coarctantur; quod perinsignem molestiam et cruciatum facessit: membrana *adnata* rubore saturrimo nitet.

Proprium est hujus ACUTAE ACERBIORIS *ophthalmiae* ad singulas oculi partes, imo vero ipsa intima penetralia, denuo serpere. Nonnunquam vasa *adnatae* subjecta eo turgent, ut sanguis ab iis sponte diruptis profundatur, inter eam et *scleroticam*; id malum *Chemosis* nominatur. Penetralibus oculi graviter inflammatis, dolor quaesitissimus tentat. Caligo, muscae quasi oculis circumjectae, modoque, at rarius *pupillae* plus aequo patulae exercent. Oculi aridi vix madent, humoribus intus a glande lachrymarum secretrice delatis, vel hujus arteriis *spasmo* rigentibus. *Iris* inter haec admodum

rubet, nec raro humor aquosus cruore misto obscuratur. Praeter haec, fieri potest ut, *adnata* vicinisque ei sanis, interiores solae partes inflammentur. Rem ita se habere testantur lachrymae fere nullae, ruboris *adnata* expers, dolor tamen saevus, delirium, *iris* erubescens, et quaedam alia ex indiciis paulo ante propositis.

DE OPHTHALMIAE MEMBRANARUM ACUTAE FINIBUS.

Ophthalmia membranarum acuta desinere potest: A. In ophthalmiam vetustam sive *chronicam:* B. In resolutionem: C. In suppurationem: D. Raro in gangraenam: E. In lympham opacam secretam: F. In *amaurosin;* de quorum singulis disputandum.

A. DE OPHTHALMIA VETUSTA.

Inflammatio oculi vetusta aut alicujus partis

parum recte *species* habetur; eaedem enim cujusvis fere visceris partes inflammari solent, sive id malum acutum sit, sive longum; et inflammatio vetusta eadem omnino est actio, quae acuta, corpore sane debilitato, aut ipsa parte affecta prioribus malis labefacta, mutata atque sedata.

Manifestum est igitur, aut *ophthalmiam membranarum*, aut *ophthalmiam tarsi*, modo esse acutam, modo vetustam, prout varient aetas, habitus, virium ratio, &c.

Ob tenerrimam oculi fabricam *ophthalmia* membranarum facile fit vetusta: quae denunciatur dolore et ardore et febre abeuntibus, rubore superstite, haud laeto et splendente, sed saturrimo, proximeque ad livorem hebetem accedente. Oculum simul valde irritabilem et imbecillum moveri et exerceri piget. Diu haec inflammatio vetusta permanere potest; id quod profecto nomen indicat; longeque aliter atque acuta curatur.

B. Resolutio satis est frequens. Scire licet,

quo jam saepius afflixerit et conquieverit *ophthalmia*, eo, eandem facilius et leviori causa admota renaturam.

C. Suppuratio bono eventui non est habenda: indicat inflammationem saevissimam antecessisse, nec raro obcaecat pus scilicet, certeve humor huic simillimus, intus secretum, humorem aquosum saepe turbat. Id malum *Hypopion* vocatur. Si malus habitus corporis accedat, frequenter sequitur ut cornea opacetur aut exulceretur, et aliquando iris extrudatur: modo pus laminis *corneae* interjectum, alias inter corneam adnatam prodit.

D. Gangraena oculi iisdem notis, quibus aliarum partium, praedicatur.

E. Inflammatio oculi persaepe in lympham opacam secretam abit; unde nascuntur vitia alia atque alia, prout hujus varient sedes. Si ipsa lens, ejusdem capsula, latexve iis interpositus exinde latescat, fit *cataracta*; de qua hic disse-

rere meum non est. Lympha ista inter corneam et adnatam fusa, nebulam inter laminas corneae albuginem facit.

F. Denique, ophthalmia gravissima et posticae parti oculi insedens, in amaurosin abire potest: aut *arteria retinae centrali* distenta, nervam opticum oppressura; vel lympha ibidem effusa, vel isto nervo et *retina* inflammatis, ideoque denuo hebetatis.

DE SIGNORUM RATIONE.

Consilium est, signis levioribus praetermissis, acerbiorem et praecipuorum rationem inquirere.

De oculi rubore, pulsu et alieni infixi sensu.— Oculus inflammatus ideo rubescit, quod arteriae et venae membranae *adnatae* inspersae, plus aequo tument; et quoniam vasa, oculo sa-

no, laticis solius capacia, nunc ampliantur, cursusque sanguinis acceleratur, particulae sanguinis rubrae eadem ineunt, et permeandi impotentes haerent; unde nascuntur pulsus et alieni infixi sensus.

De tumore et dolore.—Vasa tumefacta et humor glutinosus profusus faciunt ut oculus turgeat: dolor omni sane inflammationi contingit, quia nervi, arteriae et venae causis jam propositis intenduntur et irritantur. Res porro notissima est, arterias alicubi concitatas vim nervosam acuere.

Oculi illachrymant, quia glandulae lachrymarum secretrices sanguine superfluunt.

Oculi, inflammatione saevissima aut interiore, arent, eo, quod inflammatio incitatissima facit ut vasa secernentia *spasmo* obrigeant; vel penetralibus oculi inflammatis, sanguis intus a glandula jam dicta impellitur.

Oculi lucis non tolerantes sunt, quia eorum nervi, et praesertim *retina,* ob arterias incitatas, magis sentientes fiunt.

Muscae oculos interdum circumvolant. Hoc signum perpetuum non est. Inflammationi non nisi violentissimae accidit; si nimirum ipsa *retina* hujus fiat particeps, vasis turgentibus quaedam ejus partes opprimantur et exinde torpeant, necesse est. Fieri sane potest, sicut jam memoravi, ut *amaurosi* oculi ex inflammatione caligent; si haec scilicet ad nervum *opticum* pertinuerit.

DE CAUSIS.

Causae sunt duplicis naturae; scilicet, abditae, et excitantes; de quarum utrisque paucis disseram.

De causis abditis.—Homines fabrica corporis molliori, delicata instructi, juventa florentes, prae aliis opportuni sunt, qui in *ophthalmiam* membranarum incidant.

DE CAUSIS EXCITANTIBUS.—Causae excitantes sunt, quae recta, et quae indirecte oculos incitent vel irritent. Illae sunt impetus alienus illatus, veluti si mucro, gladius, ensis, sica, acus, aliudve ferramentum eosdem contundit, icit aut pungit: irritamenta quae figura aspera particularum aut acie *chemica* exasperent; pulveres aut fumi acres; *cilia* intus versa: porro Eurus, Aquilo, lux vivida, studia nocturna, *microscopium* acriter et crebro adhibitum, et quae sunt hujusmodi eodem spectant. Oculos indirecte stimulant eoque inflammant, quaecunque vasa capitis praeter naturam impleant et cieant; qualia sunt aestus, ebrietas, motus animi, cervix ligamento constricta. Huc porro referenda exinanitio aliqua ex improviso suppressa; nempe, sanguinis cursus e venis *haemorrhoidalibus* vel naribus, &c. menstrua, *gonorrhoea*, alvus, cutis halitus, et quae sunt hujusmodi. Quinetiam, cutis summa ex quovis fere *exanthematum* deflorescens: potissimum hoc de *rubeola* affirmare licet: nec ratio obscura; huic enim morbo vel jam ineunti inflammatio membranae narium *mu-*

cosae contingit, atque facile exinde ad canales lachrymales et membranam *adnatam* serpit.

Quod ad contagium aliasque causas *ophthalmiae specificae* genitrices, mox de iis dicturus sum.

DE PROGNOSI.

Si cui viribus et juventa florenti, et boni habitus, noxa extrinseca oculum inflammaverit, exitum felicem, curante perito, sperare licet. Quod si, signis partium exteriorum oculi laborantium pene nullis, dolor cruciat; si oculi inarescunt; si lumen maxime irritabiles fugiunt; si muscae volitantes oculos circumdare videntur; metuendum erit, ne aeger *amaurosi* obcaecetur, aut fabrica oculi aliis eventibus malis diruatur. Nulla inflammatio vehementior metu vacare potest. Corpus malo habitu imbutum, *struma* infectum, veneris morbo inquinatum,

ophthalmiam ita moderatur, ut ejus notae plurimum mutentur, et summum discrimen inferatur. De ea hisce causis affecta infra dicendum.

DE CURATIONE.

Consilia medendi sunt, I^{mo}, Noxas excitantes tollere vel evitare; et II^{do}, Inflammationem remediis exinanientibus et sedantibus subducere. Haec consilia curationem OPHTHALMIAE ACUTAE LEVIORIS et ACUTAE ACERBIORIS complectuntur.

De acutae levioris curatione.—I. Quoties irritamenta aliena oculum subierint, extemplo subducenda sunt. Si natura medicatrix, moto fluxu lachrymarum in hunc finem, haud satis valeat, oculus lacte diluto et tepido fovendus. Aliquando penicillo admoto opus est, quo acria

palpebris intus subjecta educantur; inutilia enim sunt omnia medicinae auxilia, dum irritantia exierint. Lux, aestus, sonus et reliqua, quae sensus incitent, fugi debebunt. Oculus panno tenui, serico et viridi velandus: habitandum in conclavi tenebroso, amplo, et quod perflatum habeat: frontem liberum et veste multiplici expeditum esse oportet. Si aeger solitus fuerit lucubrare, clare legere, *microscopio* literisque perexiguis excusis oculis solicitare, haec omnia mittenda. Potus meraci, carnes, salsamenta, condita omnia nocebunt. Victus optime convenit e materia levissima, lacte scilicet, pane, oryza, et quae sunt hujusmodi. Si menstrua, *haemorrhois*, aut alia exinanitio suppressa *ophthalmiam* genuerit, fluxus iste arte renovandus.

II. Interdum non nisi causas tollere opus est, quo inflammatio levior quiescat. Juvabit equidem oculum fovere *decocto papaveris somniferi*, vel foliorum *hyosciami nigri*, vel aliis emollientibus; et alvum salibus mediis purgare. Si haec auxilia non paucis diebus morbum fu-

gaverint, hirudines proxime oculum imponere, et *emplastrum meloës vesicatorii* decebit. Nonnunquam sane unciae sanguinis viij, x aut xij mittendae, incisa arteria *temporali*. Hisce remediis inflammatio mitior devinci consuevit. Inter revalescendum, omnia quae supra (I.) memini summa cura servari proderit, ne homo relabatur.

De ophthalmiae acutae acerbioris curatione.—I. Quae supra enunciavi ad consilium prius (I.) attinentia, hic quoque studio acerrimo observari debent. II. Inter principia, secta arteria *temporali*, sanguinis moles amplior elicienda, scilicet unciae x, xii, xv, &c. Modo vena brachii recte icitur. Dein, hirudinibus impositis opus est; plus minusve sanguinis mittendum, prout suadeant virium et signorum ratio, habitus, aetas, &c. Ei sane remedio potissimum fidendum. Alvus acrioribus medicamentis expurganda; nimirum, initio, *submuriate hydrargyri* et *convolvuli jalapae* radice; dein salibus mediis: oculus *cataplasmate* mulcendus; et sum-

ma cutis circa tempora *emplastro meloës vesicatorii* exulceranda. Si dolor oculi et capitis impatibilis cruciat, corpore jam satis depleto, *opio* tuto et utiliter consopietur; denique, mature et acriter agendum est, ne haec vehemens inflammatio, pede praecipiti in *hypopion*, maculas, aliave oculi vitia obcaecatura, desinat.

De ophthalmiae membranarum vetustae curatione.—Summi refert intelligere, quo ipsissimo tempore, *ophthalmia* ex acuta vetusta fieri coeperit, siquidem hanc longe aliter atque illam curari oportet. Consilia sunt ea quae jam proposui.

I. Omnes causae tollendae sunt aut evitandae, uti explicui; et si quid virus humores polluit, veluti id quod *syphilidem*, *gonorrhoeam*, &c. progignit, idoneis medicinae auxiliis radicitus dimovendum est.

II. Vasa turgida *tunicae adnatae* et palpebrae scarificari debent. Hisce absolutis, oculus lavandus liquore adstringente, nimirum, *sulphate zinci*, vel *acetate zinci*, vel, *acetate plumbi* aqua

soluta. Quodvis horum aqua *rosae Gallicae destillata* bene dissolvitur. At summo commodo adhibetur *oxymurias hydrargyri*, ita praeparatum, ut granum unum unciis aquae iv liquetur, pauxillo *tincturae opii* adjecto. Dolor et irritatio guttis paucis vini *opio* imbuti sedabantur, in oculum quotidie mane instillatis. Videndum autem ne hoc, et reliqua remedia prius dentur, quam conquieverit inflammatio acuta; uti enim vetusta laborantibus opitulantur, ita acutam exasperant. Liquores jam dicti, ope cyathi, qui oculo accurate aptetur, optime applicantur. Quanquam oporteat oculos panno viridi umbrare, tamen secus atque urgente acuta, lux non penitus excludenda; quippe quae modo non vividior sit, oculo salutari erit incitamento.

QUAEDAM DE OPHTHALMIA SYPHILITICA, &c.

Jam notavi *ophthalmiam syphiliticam* esse *ophthalmiam* membranarum *specificam*, id est, veneno *syphilitico* corpus inquinante mutatam. Quoniam *iris* hic praesertim inflammari solet, nuperi quidam hoc malum *Iritidem* appellarunt, quam tamen aliunde quoque ex quadam parte nasci haud nescio.

De iritidis signis.—Dolor peracerbus oculo toti adest partibusque circumjectis: membrana *adnata* tamen, non nisi leviter, rubet. Ab initio partes omnes exteriores aequaliter rubore isto tinguntur, et oculos lux offendit. Saepe scintillae quasi aegro oculos circumvolare videntur: pupillae, luce illata, perquam coarctantur, et principio aequaliter. *Corneam* circulus quasi e vasis ibi tumefactis confectus cingit; et

pars exigua membranae *adnatae*, eorundem expers, inter eum circulum et *corneam* posita, conspicitur. Hoc signum *iritidis* proprium est. Color *iridis* mutatur. Quibus natura oculos caeruleos aut caesios dederit, iis *iris* viridescit; quibus atros aut fuscos, rubescit. Margo interior initio, dein partes *iridis* reliquae colorantur, frequenter maculantur guttis quasi sanguinis e vasis diruptis profusi.

Ubi hae notae aliquamdiu permanserunt, demum arteriae margini *iridis* interiori inspersae lympham crassam, scilicet *fibrinam*, secernunt, flavam aut fuscam. Hic eventus partem, sive periodum SECUNDAM hujus morbi ineuntem insignit. Nunc *pupilla* ex rotunda fit ovata, vel quadrata, vel rhomboidea, vel octo angulis instructa; vel denique figurae abnormis, prout lympha huic illive marginis anterioris *iridis* parti inhaeret. Non raro facit, ut hic margo alicubi capsulae lentis praeter naturam adnectatur, vel etiam ut *pupilla* penitus deleatur.

Quod ad eventus, praeter resolutionem, fre-

quenter, pure secreto, gignitur *hypopion ;* vel *iris* suppurat, aut exulceratur.

De causis.—*Syphilis* et praeparata ex *hydrargyro* ad eandem debellandum admota, sunt causae praecipuae. Ophthalmia acuta acerbior, citra istas causas modo *iritidem* genuit, maximeque eadem male curata. Interdum lens opaca extracta, aut depressa ab artifice imperito, vel natura haud alma: denique, subinde cum *arthrodynia* aut *podagra* sociatur.

De curatione.—Quoties *iritis*, citra *syphilidem* aut actionem *hydrargyri* nascitur, vacuefacientibus et sedantibus acriter utendum. Initio ipso, arteria *temporali* incisa, unciae xv aut xx mittendae erunt, semel, bis, aut si opus sit, saepius. Alvus validioribus medicamentis expurgari debet. Si *fibrina* aut pus profundi coeperit, praeparatis ex argento vivo utendum, ita ut os saliva scateat, et totum corpus hoc remedio imbuatur. Quod si morbus veneris *iritidem* intulerit, a principio *hydrargyrum* ministrare

licet; subinde equidem, venis prius vacuefactis, si dolor et febris exardeant, arteriaeque multum concitentur.

Minoris interest quomodo detur istud remedium, dum humores probe eodem imbuantur. Vel summa cutis *unguento hydrargyri* illinenda, vel *submurias* ejusdem sumendum, *opio* aut *extracto hyosciami nigri* adjecto, ne ventriculus offendatur, aut alvus fluat; alterutrum horum porro haud parum confert operae, ad dolorem mitigandum. Haud raro optime convenit oculo applicare *unguentum hydrargyri opio* mixtum; scilicet, tempora eodem unguere quotidie vesperi horae quadrantem. Quo pacto, hoc remedium acerrimum *iritide* implicatos juvet, haud satis constat; vel, ut alias loquar, actione *specifica* suive simili, opitulatur. Illud sane vix dubitandum, *hydrargyrum* ita arterias *iridis* moderari, ut *fibrinam* secernere desinant. Vix unquam equidem signa omnia hujus mali non penitus debellantur, si curationem jam propositam mature et acriter medicus expertus fuerit. Si *fibrina* effusa *pupillam* pene occluserit, ferramen-

tis opus erit; de qua re meum disputare non est.

QUAEDAM DE OPHTHALMIA AEGYPTIACA.

De signis.—Inflammatio Aegyptiaca oculi lento passu obrepit; oculus tener et irritabilis prurit, lucis impatiens: levissimo irritamento haec signa exasperantur. Dolor postea valde cruciat: sensus oculi quasi lancea transfixi, et saepe arena inhaerente irritati aegrum fallit. Dolor frequenter caput universum afficit. Saepius alter, modo uterque oculorum laborat. Noctu aeger in tantum torquetur, ut somni fere penitus auferantur. Oculi palpebraeque intumescunt, et membrana *adnata* rubore saturrimo coloratur. Haec signa duos, tres, pluresve dies perseverant; dein dolor quodammodo decrescit: oculi tamen valde irritabiles perstant, et rubor vel color purpureus per singulas partes eorundem

spargitur. Pertinax haec inflammatio haerere solet: modo *tarsos* initio aggreditur, si struma hominem polluit. Plerumque vero haec inflammatio habenda est *ophthalmia* membranarum, causa excitante propria, mox referenda, mutata. Fines eosdem, quos antea memoravi, agnoscit: potissimum duo notandi sunt: *cornea* opaca et pus intus secretum: de quibus jam conscripsi.

De causis excitantibus.--Causam aliquam aut plures Aegypti proprias hoc genus *ophthalmiae* excitare, clare docemur perspectis signis, perquam singularibus et diris ejus effectibus. Quae vero, aut qualis haec sit, non inter medicos convenit. Quidam hunc morbum ad oculos arena ista, quam syrtes aestuosae volvunt, irritatos, retulerunt. Alii contenderunt aquarum rationem eundem inferre. Aliis placuit aestum et solem torridum causas esse excitantes. Quum vero satis constat, quam plurimos in eum incidisse, quibus hae causae omnes defuerint, verisimilius esse judico, *ophthalmiam*, quam prosequor,

pestilentem esse; id est, tabo pestifero dispergi.

De curatione.—Consilia jam proposita curationem complectuntur; prius ex his quoque omnia supra comprehensa hic desiderat. Oculus refrigerari debet panno linteo aqua gelida madefacto imposito. Si inflammatio acutior ardeat, tempora emplastro *meloës vesicatorii* exulceranda. Interdum juvat membranam *adnatam* aut faciem interiorem palpebrae scarificari; quod tamen perpetuum non est. Legem sane de hac re ferre nequeo: habitus enim corporis, aetas, &c. signa ita variant, ut modo id tuto et utiliter, modo pessime fiat: raro tamen prudens et peritior medicus errabit. Hirudines et cucurbitulae cruentae persaepe recte admoventur; et reliqua remediorum vacuefacientium.

Ubi haec inflammatio jam vetusta sit facta, oculus adipe *oxydo hydrargyri rubro* imbuto, aliisve similibus illinendus est; adhuc servatis, quae ad consilium prius attineant.

Quoniam febris frequenter multum irritat et

cutis inarescit, praeter exinanientia, quae supra memoravi, sudor praeparatis ex *antimonio*, praecipue vel *ipecacuanha opio* adjunctis eliciendus erit; eundem in finem tepidario utendum. *Opium*, incitatione jam sedata, optime convenit; scilicet, dolorem consopit, somnos nocturnos conciliat, istumque habitum mobiliorem et irritabiliorem fibrarum motricium, qui interdum in alvi fluxum perniciosum desinit, summovet.

Nonnulli corticem *cinchonae officinalis* ministrarunt, hoc morbo inveterascente, siquidem vires insigniter labefactantur. Huc bene accedit oculus aqua frigida quotidie lotus, vel totum caput; praeter pannum viridem oculo circumjectum, et causas irritantes evitatas.

QUAEDAM DE OPHTHALMIA TARSI.

De signis.—Ophthalmia *tarsi* est inflammatio tarsi, membranae palpebrae interioris, ideoque *adnatae* interdum, ob humorem acriorum a glandulis meibomianis secretum. Signa ejus propria sunt tumor et rubor palpebrae, humor puri haud absimilis profusus, qui facit ut palpebrae noctu concrescant. Harum margines saepe exulcerantur vel eroduntur.

De causis.—Causa abdita est corpus struma inquinatum. Causae excitantes sunt eaedem, quae *ophthalmiae* membranarum.

De curatione.—Consilia medendi sunt tria; I. Causas excitantes subducere. II. Inflammationem idoneis remediis debellare. III. Strumam arcere.

Quod ad consilium primum attinet, jam satis dictum est. Si inflammatio acuta plectat, utendum est principio auxiliis *ophthalmiae* membranarum acutae devincendae accommodatis, quae antea exposui. Quod si lenta et vetusta inhaeret, (id quod saepius accidit,) oculus medicamentis adstringentibus, roborantibus, et incitantibus solicitandus; quae nimirum vasis oculi resolutis actionem salutarem concilient. Hujusmodi sunt *sulphas zinci*, *acetas zinci*, aut *acetas plumbi* solutum ; *alkohol* dilutum, *unguentum nitratis hydrargyri* vel *unguentum* ex adipe et *oxydo hydrargyri rubro per acidum nitricum* confectum. Palpebrae quoque noctu indies adipe illinendae, ne concrescant.

III. Quo struma arceatur, vel devincatur, oportet vires omnibus modis reficere. Frigidario utendum : praeparata ex ferro, *murias calcis* aut *barytae*, et *cinchonae officinalis* cortex praecipienda. Frigus prohiberi debet vestitu laneo: aër siccus proderit, humidus nocebit. Carnibus quoque vescendum.

QUAEDAM DE OPHTHALMIA PURULENTA INFANTUM.

Die modo tertio, modo quarto, quinto, sexto, decimo, aut decimo quarto, vel etiam vigesimo, vel trigesimo post infantem natum, inflammatio propria infantum, quae purulenta vocari solet, accedere consuevit. Raro medici initio auxilio veniunt, ideoque signa ejusdem incipientis eos frequenter latent. Inter principia palpebrae tument, rubent, et pituitam albam excernunt, quae totam superficiem oculi madefacit, et demum palpebrae inferiori inhaeret: sensim inflammatio ad oculum ipsum serpit, et membrana *adnata* intumescere coepit; inter haec medicus vocari consuevit. Nunc palpebrae eo usque turgent, ut aegerrime invicem dissocientur. Facies interior earundem rugas, aut villos quasi sibi praefert. Quoties infans vagit et luctatur, palpebrae extruduntur, non nisi

manu aliena ministrante positum naturalem recepturae; humor fit atrior et multo copiosior, glandulis MEIBOMIANIS, et superficie interiore palpebrarum eum secernentibus. Harum superficies exterior *erysipelate* efflorescit. Febris saepe quaesitissima saevit: infans irritabilis membra jactat; noctu vigilat et cibos fastidit. Corpus porro marcet, nec raro alvus fluit. Haec inflammatio incaecitatem nulli arti medicabilem, aut in *staphyloma* nimis saepe desinit.

Quod ad curationem sermone longo opus non erit. Inflammatio sedanda est medicamentis et auxiliis de quibus jam fuse retulimus, et, simul atque fluxus copiosior esse incoeperit, adstringentia oculo adhiberi oportet.

DE QUIBUSDAM EVENTUUM OPHTHALMIAE.

EVENTUS OPHTHALMIAE, de quibus pauca disserere in animo est, sunt *hypopion*, *ulcus corneae*, et *iris* extrusa, *pterygium*, *nebula* et *albugo*.

De hypopio. Inflammatio, quae *hypopion* gignit, id est pus humore aquoso mistum, atrocissima esse consuevit. Medici igitur est, curatione acerrima istam inflammationem consopire, eoque *hypopion* praecavere. Hoc vero eo magis necessarium est, quod hoc vitium haud raro in *corneae* ulcus et *iridis prolapsum* desinit.

Ineunte igitur *hypopio*, venis vacuefactis, exulcerantibus impositis, alvo expurgata occurrendum est. Haec enim remedia eventus malos jam memoratos prohibent: et si quid humoris opaci, iis auxiliis ministratis, supersit, sensim fere resorbetur. *Corneam* secare, quo pus educatur, nolo: si enim corporis habitus malus aegro contingat, inde vitia antea dicta inferuntur. Non nisi *hypopio* accedentibus cornea opaca, oculo tumefacto et ejus fabrica multum laesa, eam membranam incidere oportebit.

De cornea exulcerata.—Modo *hypopion*, modo abscessus *corneae* diruptus in hanc exulceratam desinit. Interdum aliena acria oculo immissa hoc vitium moliuntur. Etiamsi absces-

sus *corneae*, passu tardissimo maturetur, nequaquam scalpello patefieri debet: humor enim tam viscidus est, ut vix unquam prorsus effluat, ideoque vulnus gravi fit irritamento, ulcus saepe facturo. Satius est abscessum mulcere, et fovere *cataplasmate* emolliente imposito. Ulcus *corneae* subfusci esse coloris solet, marginibus elatis et inaequalibus instructum: dolorem saevum facessit, et laticem tenuem, corruptumque fundit, facileque patet. *Cornea* simul opacatur, nonnunquam humore aquoso exeunte; *iris* prolabitur. Denique, si ulcus *corneae* fabricam penitus diruerit, fieri potest, ut, praeter *iridem* lapsam, lens et humor vitreus effugiant.

Quod ad curationem, nosse juvat, quanquam inflammatio hujus ulceris sit genitrix, tamen ulcus natum inflammationem alere et producere. Ulcere jam ineunte, et simul inflammatione exardente, remediis in *ophthalmiam* acutam idoneis utendum erit, proximum est ut ulcus quasi hebetemus, vel sensu privemus; quo inflammatio inclinetur. Hunc in finem, ei adhibeatur, ope penicilli molissimi, aqua *nitrate ar-*

genti fortiter imbuta, ita ut *eschara* fiat: cavendum ne vitium latius pateat, oleo in canthum exteriorem oculi instillato vel oculo lacte dilutiori tepefacto loto, simul atque eschara nascatur.

Nitras argenti dolorem ingentem movet, qui tamen cito evanescit: *eschara* tamen decedente renascitur; et iterum hoc medicamentum admovendum. Si, hoc saepius facto, ulcus ad superficiem tendat, exurente praetermisso, liquores adstringentes adhiberi debebunt; interdum, ulcere male curato, tuber spongiosum exoritur, hominem prorsus obcaecaturum, nisi cito tollatur. Hoc forfice excidi oportet, vasis simul, quae idem alunt, decisis. Dein ad *nitras argenti* confugiendum, donec pars sanescit.

Pterygium membrana est triangula, vasis referta, cujus apex ad *corneam* spectat, eandemque fere magna ex parte obtegit: saepius, ab angulo interiori, interdum exteriori, modo sed rarius a parte superiore, vel inferiori proficiscitur. Subinde plures harum membranarum eidem oculo subesse observantur, visum admodum impediturae. Quum *pterygium* inflam-

matione diutina et severa plerumque nititur, manifestum est, medici officium esse idem inflammatione debellanda praecavere. Quod si accedat, ferramentis idoneis excidendum.

De nebula et albugine curandis, pauca quae proponam habeo. Inflammatione subigenda iis obstandum. Vasa quae nebulam alant scalpello summovenda sunt. Stimulantia porro, quae vasa *lymphatica* cieant, in *albuginem* proderunt; nimirum, *unguentum oxydi hydrargyri rubri*, *murias hydrargyri* aqua solutum, et quae sunt hujusmodi. Nonnulli contendunt, utiles fore pulveres, qui facultate *mechanica* terant, uti vitrum subtiliter contritum: quae tamen ancipiti sunt auxilio.

FINIS.